



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Altha Inferior, siue Altaich inferius, in Bauaria inferiori, ad Danubium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

## CAPVT XXXVII.

ALTHA INFERIOR, siue ALTAICH  
inferius, in Bauaria inferiori, ad Da-  
nubium.

**A**mplissimum ac ditissimum monasteriū istud Benedictini Ordinis, in Bauaria inferiori ad Danubium est situm. Vnde verò Altaich Inferius & Superius nomen atq; originem habeant, nempe à duabus vetustissimis & prodigiose magnitudinis queribus in ripa Danubij, quod frequens populus gentilis coibat, & victimas immolabat (quæ loca noij post receptam Christianam religionem in templo, ac deinde in cœnobia commutauerunt) tradit Ioannes Aventinus in Annalibus suis, libro tertio.

Fundatum est hoc monasterium, sicut & Altaich superius, ac pleraque alia, consilio S. Pirminy, Episcopi Metensis, ab Utileone Duce Bauariæ, in honorem S. Mauritij anno 741<sup>a</sup> sub Zacharia Pontifice Maximo, bellis tamen postea atque incendijs vastatum fuit: instauratum verò per Imperatores & Reges Romanos qui illud maximis muneribus & priuilegijs auxerunt, sicuti hoc ipsum testantur Annales eiusdem monasterij. Tassito, filius Utileonis, plurima prædia huic monasterio dedit, quorum magnam partem per discordiam Principum amisit. Carolus Magnus tradidit huic monasterio pri-

741<sup>a</sup>

uilegia immunitatis, & prædium in Spitz & in Bachouia, in Austria anno 812. Chronicon monasterij Altaicensis per Georgiū Abbatē conscriptum, tradit Carolum Magnum, cū terram Auarorum siue Pannoniā, quæ nunc Austria est, octo annis perdomuisse, expulsis Auaris, totam inter Ecclesias bauariæ, Pontifices, Abbates, Comites & barones diuisisse, & monasterio Altaich magnam partem tradidisse. *Ludouicus item, Caroli Magni nepos, Orientalis Franciæ Rex, tradidit Ecclesiæ Altaicensi quædam priuilegia an. 843.*

Huic monasterio Altaicensi incorporatum est monasterium de Rinichnach an. 1040. ut tradit Hundius in Metropoli Salisburgensi.

Altha, siue

ALTAICH SUPERIUS, ad Danubium,  
in Bauaria.

**V**TIL Dux bauariæ, insti[n]tu S. Pirminij, Episcopi Metensis, qui tunc apud ipsum erat, sex monasteria construxit, vnum prope Menem lacum Noricorum (de quo supra diximus) quinque in inferiori bauaria iuxta Danubium, Pataviæ Nidernburg, pro sacris virginibus, Osterhouen, Pfaffen munster, Altaich superius & inferius, quæ S. Pirminius dedicauit. Althæ superiori Etæo Argentoratensis Episcopus dedit monachos S. Benedicti, circa annum Domini 739. Aduocati Althæ superioris fuerunt Comites de Pogen, qui

multa